



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.  
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è  
Societate Jesu**

**Giuglaris, Luigi**

**Francofvrti, 1684**

20 Abrahamus Tharæ Filius. Narratio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38349**

Hinc Maria Monstris, Sylvæ Feris erepta.  
 Denique unâ ex Chaldæa  
 In Regiones omnes traductæ Colonia;  
 Et animatus est Orbis.  
 Solus Heberus Hebræorum Pater, & Isagogus  
 Patrium solum, vocemque retinuit;  
 Et in pectoris sacrario;  
 Natale idioma, ut diviniis Oracula conservavit,  
 Natus Hebero Phaleg:  
 Cujus nomine linguarum divisio memoriæ consignata  
 Succreverunt Revus, Sarag, Nachor & Thares,  
 Quorum laudes sicut Mofes,  
 Ne Magni Abrahami laudibus obstreperent,  
 Itaq; de Abrahamo ut loquamur,  
 Cæteri fileantur.

ABRAHAMUS  
 THARÆ FILIUS.  
 NARRATIO.

Abrahami gesta narro; Viator audi.  
 Hic in Chaldæa natus,  
 Cum inter Siderum cultores, Auctorem Siderum coloris  
 Patrium Cælum amittere maluit quam adorare.  
 Profugus igitur & palabundus,  
 Ut famem averteret, propè famam evertit,  
 Nam Conjugis species Abramo periculo fuerat,  
 Nisi Abrami solertia Conjugi saluti fuisset.  
 „ Usq; adeo mala sarcina est pulchritudo.  
 Eò igitur profugiens, unde profugerat;  
 Ex Ægypto in Cananidem redux,  
 Aram posuit, quietis arham.  
 Lothum habuit Fratris Filium;  
 Cui, permixtis divitiis, commercia nexuit.  
 „ Societate crescunt opes; sed opibus decrevit societas,  
 Crevere cum prædiis famuli, cum famulis rixæ.  
 Nec geminum solium, unum capiebat solum.  
 Idq; cum affinitas consinium non pateretur,

Terram



Terram partire maluerunt quam corda;  
 Sed hæc humanarum rerum necessitas;  
 Sociata augeri, aucta dividi, divisa petire.  
 Ergo amœnissimam Pentapoleos regionem  
 Tyranni quatuor populantes  
 Lothum abducunt.

Perierat Loth, nisi Patrum habuisset,  
 Qui Servis trecentis sub vexillum collectis,  
 Tot Hostias, quod hostes jugulavit.  
 Quis jam trecentos narret Lacones,  
 Qui non se numerant, sed æstimant?

Plus egerè Abrahamo Duce totidem vernæ:  
 Unam illi repressere aciem, hi quatuor oppressere.  
 Adèdè facile militant, qui Deum habent commilitonem.  
 Sic inter Mortales Abram stetit, sed mortalis.  
 Infelix erat felicitas, qui non habebat hæredem.

Nam, unâ Nominis illecebrâ,  
 Abramus erat, non Abramus:  
 Pater videlicet, sine prole.

Erögare illi omnia voluit Deus,  
 Ut aliquid esset quo Deum rogaret,  
 Rogando, Ismaelem orbitatis solatium ex Ancillâ suscepit.  
 Sed nondum satis.

Invidiosa erat Conjugis sterilitati Ancillæ fœcunditas:  
 Liberis egebat tanta fortuna, non libertis.  
 Itaq; ut nihil jam à Naturâ desideraret,  
 Nihilque naturæ deberet,

Rogando, de sterili Conjuge Isaacum suscepit.  
 Sed caro emit tam carum pignus:  
 Ipsum quippè senectæ gaudium,  
 Suâ juberet dexterâ jugulare.  
 Lucroso nimirum periculo.

Nam pro sobole oblata stellarum numerum æquaturus.  
 Ex Abramo fit Abrahamus.  
 Ex inani Patre, multorum Pater.  
 Quæris quam magnus fuerit?  
 E sinu metire.

Omnes probos gremio excipit.  
 Exceptos omnes, Beatus facis.

LOTH